

370

quod ascensus graduatus ex natura sursum erat usque ad cacumen promontiorum, et mirum fuit videre tam ingentia saxa, quasi ad ascendendum ordinata per manus, utique summi opificis nutu cuncta ordinantis, insufficientes enim essent omnium hominum manus et defectiva ars ad apponendum tam grandem molem hoc ordine. Ideo antiqui Deum ignorantes artificem rerum quibusdam Titanibus et Gigantibus attribuebant talia immania opera. Allectus ergo loci dispositione mirabili rogavi dominum Johannem socium, ascendere mecum in promontorium, in cuius summitate stabat signum; qui cum difficultaret assignans promontorii celsitudinem, dixi ei cum jocunditate: et si altum est promontorium, tamen ecce ascensus gradatus et optime ordinatus; ut (ad) quid etiam Dominus hunc ordinasset ascensum, nisi ascendere quis voluisse? non pigris aut stultis hominibus hunc fecit ascensum, sed ammirativis et congregativis eum paravit, et quis scit, si forte superius sit aliquid pretiosum vel mirabile, quo viri fideles delectentur. Bis et similibus verbis incitatus vir venerabilis descendit mecum in barcam, et educti per rupes ascendimus scandentes sicut caprae usque in celum cacumen. Horribilis quidem fuit ascensus, sed securus, nec poterat homo retrorsum cadere, etiam vertiginosus, quamvis formidandum praecipitum videretur ascendentem esse. Cum ergo in summitatem venissemus, invenimus ibi altum acervum lapidum et super eum grandem crucem ligneam in signum portus. Sunt enim in locis portuosis sic signa locata, ut dum navigantes tempestas acceperit, possint videre, ad quae littora sine periculo confugere debeant. Adorata autem cruce ascendimus super acer- vum et circumspicere incepimus (**201a**) ad mundi plagas, contra Orientem enim habuimus Illyricum, contra meridiem vero Siciliam et Apuliam, contra aquilonem Pannionam, Ungariam, et ibi ostendit mihi dominus Johannes montes et terminos Ungariae et quomodo ab illo loco per Sebenicum trita via venitur usque in Transsilvanię; sed quia Turci occupant jam loca media, non patet amplius via Christianis brevis in Ungariam, sed per longas circuitiones intrare necesse est. Dum autem verteremus nos contra occidentem, conjectis oculis ad longius vidi et ex corde gavisus sum, apparebant enim nobis cani montium vertices se tenui quadam ostentatione manifestantes, quos ut vidi, optime novi esse Alpes nostras Penninas, Rhaeticas et Julianas, quae terminum maris constituunt

